

Q. HORATII FLACCI
EPISTOLARVM.

LIBER SECUNDVS.

EPISTOLA I.

Ab Augusti laudibus, qui scribit hanc Epistolam, ad iudeas Poëtarum delabitur: ait recentiores nihil concedere veteribus: Græcos præluxisse Romanis: horum quedam peccata perstringit: ad extremum hortatur Augustum, ut eos sovere, ac tueri perget, maxime præstantiores, qui res ipsius præclaræ gestas possint scribere pro dignitate.

Cum tot sustineas, & tan-a negotia solus;
Res Italas armis tuteris, moribus ornas,
Legibus emendas, in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora Cæsar.
Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux,
Post ingentia facta Deorum in templâ recepti,
Dum terras, hominumque co-unt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt;

Morer, &c. Te occupatum
distineam.

Liber. Bacchus, ira dictus,

qua curis animum liberat.

Castore, &c. Vide librum I.

Od. Ode 3.

Colunt. Excolunt, ornant,
tuentur.

Componunt. Finiunt.

Assignant. Colendos, præ-

mili loco, ut emeritis militi-

bus:

EPISTOLARVM LIE. II.

Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritiss. Diram qui contundit hydram,
Nataque fatali portenta labore subegit,
Comperit intidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo, qui pregravat artes
Infra se positas: extinctus amabitur idem.
Presenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras,

bus: vel certis limitibus suos
cuicunque attribuunt.

Favorem. Famam, gloriam:
doluerunt, non tanu se fieri,
quanti par eset, ac mereban-
tur.

Qui. Hercules.

Hydram. Scrpens fuit ini-
stitutæ magnitudinis prope
Lernam paludem, ad urbem
Argos: erant illi plura capita,
quorum si unum secarecur,
alia duo subnascebantur: il-
lam tamen Hercules igne, ac
ferro domuit. Vide Oden 3.
libri 4.

Portenta. Monstra.

Fatali. Jupiter edixerat,
ut si prius nascetur Euris-
theus Rex Mycenarum, qā
Hercules, imperaret Herculi
pro arbitrio: fecit Juno, ut
prior Euristheus in lucem e-
deretur.

Fine. Morte. Illi mortuo
invideri desitum est.

Urit, &c. Ordō est. Qui enim

pregravat, id est, deprimit
artes infra se positas, id est,
artifices inferiores, deterio-
res: qui ceteris in arte aliqua

præstantior est, illos suo splé-
dore, noniniis sui famâ uitit,
id est, male habet, cruciat, ac-
cedit ad invidiam. Nimirum
luce oculi uruntur, ac per-
stringuntur.

Presenti, &c. Viventi, sus-
pergitri; sententia est; invi-
detur claris hominibus dum
vivunt, iidem mortui lau-
dantur: tibi etiam vivo defen-
suntur honores maturi, id
est, quos jam mereris, quos
habent tantum ceteri post
mortem: vita, honoris ver,
mors ejusdem quasi autu-
minus est, quo maturi rerum
præclaræ gestarum fructus, id
est, fama, gloria, colligun-
tur.

Jurandas, &c. Extruiimus
aras, ad quas per tuum nomen
juremus. Aram posere, & per

eius

Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes;
Sed tuus hic populus sapiens, & justus in uno;
Te nostris ducibus, te Grajus anteferendos;
Catera nequaquam simili ratione, modoque
Æstimat; & nisi que terris semota, suisque
Temporibus defuncta videt, fassidit, & odit;
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare recantes;
Quas bis quinque viri sanxerunt, sedera Regant;
Vel Gabiis, vel cum rigidis aquata Sabiniis,

ejus cui posita sit, nomen jurare, Deorum immortalium honor est; is Augusto viventi delatus est a Romanis.

Nil. Nullum talem qualis tu es.

Tuus. Romanus.

In uno. In ea re una, quod te Romanis, & Græcis ducibus anteferat.

Terris semota. Mortua, & sua ætate perfuscta, id est, quæ suum tempus, annos a facis sibi attributos, peregerunt.

Sic, &c. Ita veteribus omnibus Poëtis, oratoriisbusq; favens, ut dictiter musas ipsas composuisse, & pronunciasse 12. tabulas, &c. Quæ à musis sicut, ea perfecta esse putantur, & omnibus numeris absoluta.

Tabulas. Leges Romano-rum in 12. tabulis scriptas. Anno ab V.C. 303. missi sunt in Græciam decem viri, ut è

legibus Græcorū optima quæque excepserint: collegerunt illi certa quædam capita; quæ in 12. tabulas æreas incisa sunt, diuque jus Romanum illis 12. tabulis constitut.

Peccare ventates. Proponendo penas peccantibus.

Sanxerunt. Observandas esse à populo Romano decreverunt; autoritate sua ratas esse iusterunt.

Vel Gabiis &c. Regum Romanorum foedera aquata, id est, ex æquo constituta, & composita; vel cum Gabiis, populi erant, & urbs Italiz non procul Roma in Latio: cum iis fædus istum est à Tarquinio Superbo, vel cum Sabiniis, quorū ager supra Latium erat ad Orientem, Etrurię urbs illorum primaria, Cures.

Rigidis. Severis, parcis, frugis.

Pontificum libros, annoſa volumina vatum,
Dicitur Albano. Musas in monte locutas.
Si, quia Graecorum sunt antiquissima quæque
Scripta vel optima; Romani pensantur cædem
Scriptores trutinā; non est quod multa loquamur.
Nil intra oleam, nil extra est in nuce duri.
Venimus ad summum fortune; pinguis, atque
Psallimus, & luctamur Achivis doctiū unctis.
Si meliora dies, ut vina, poëmatia reddit,

Libros. Qui artem sacrificandi, ritus augurales continent.

Albano monte. Erat ille in Italia propè Albam; quasi fuisset ille Italia Parnassus, & eò Musæ, relicts Græciæ montibus, secessissent.

Si quia, &c. Si Romani scriptores cædem pensantur trutinā, eodem modo æstimantur, atque Græci, apud quos vel optima, id est, longè optima, sunt ea scripta, quæ sunt antiquissima; non est cur pluribus disputemus: Constatendum erit Romanorū Poëtarum scripta, ut quæque sunt veterima, ita esse optimæ: quod tamen qui dixerit, tam absurdè dixerit, quam qui negaverit durum esse quod est intra oleam, id est, nucleus; vel quod est extra in nuce, id est, putamen. Græci veteres excellebant in omni artium genere, recentes jacent; Ro-

mani olim rudes, & imperiti jam excellunt, suntque Græcis præstantiores, tum in arte pingendi, tum luctandi, & canendi: imò videmur affectui sumum fortunæ, id est, perfectionem omnium artium.

Nil intra, &c. Proverbii genitus, quod in eos cadit, qui aut negat quæ perspicue vera sunt, aut ajunt quæ perspicue sunt falsa: quid enim certius, & clarius, quam id quod intra oleam est, quod in nuce est extra, durum esse? non minus apertum est, inquit Horatius, obsoleuisse veterum Græcorū gloriam, recentium Romanorum florere.

Unctis. Athletæ corpus oleo ungebant ad vires firmandas, & habiles artus faciendo, vel etiam, ut æmulis pugilibus facilius elaberentur, nudi enim pugnabant.

Dies. Diurnitas, vetustas.

Scire velim pretium chartis quotus arroget annus;
 Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
 Perfectos, veteresque referri debet, & non inter
 Viles, atque novos? excludat iuris finis:
 Est vetus atque probus, certum qui perficit annos;
 Quid, qui deperit minor uno mense, vel annos;
 Inter quos referendus erit? veteres ne Poëtas,
 An annos, & præsens, & postera respiciat annos?
 Iste quidem veteres interponetur honeste,
 Quid vel mense brevi vel toto est junior anno.
 Ut or permisso, caudaque pilos, ut equina
 Paulatim vello, & demo unum: demo etiam unum;
 Dum cadat elius ratione ruentis acervi,
 Qui redit ad fastos, & virtutem estimat annis,
 Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.

Arroget. Acquirat, vindictet: quis numerus annorum sit necessarius, ut poëma in pretio sit, bonumque censeatur.

Decidit. Obiit centum abhinc annis.

Excludat, &c. Statuamus aliquem finem, ac terminum, certum nempe annorum numerum, qui lites finiat.

Est vetus. Responsio est aliquis censoris, & critici, quem interrogare singitur Horatius.

Iste quidem. Verba censoris.

Permitto. Permitis unum pacientem, aut annum demere,

idque nihil referre ait; accipio quod das, & vello paulatim, ac demo unum, item unum, & alios deinceps, ut si ex equina cauda pilos evellem: donec acervus ille, id est, numerus centum annorum, definitus ad bonitatem poëmatis, exhaustatur, & ruat; & ille eludatur, id est, falsitatis coarguantur, qui ad vetustatem annorum in fastis notari solitorum recurrit, &c. Fasti erant libri in quibus notabantur nomina Consulium initio cuiusque anni præfixa, & alia quæ toto deinde annis gererentur.

Libitina. Mors.

Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus,
 Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
 Quo promissa cadant, & somnia Pythagoreæ.
 Neivius in manibus non est, & mentibus haret
 Panè recens, adeò sanctum est vetus omne Poëma;
 Ambigitur quoties uter utro sit prior: auferit
 Pacuvius docti famam senis Accius alti:

Ennius, &c. Sententia est: dicas versibus descriperat, ob*ist* Ut Vitæ. Sensus est: Nævium non tanti faciendum esse Ennius, quem tamen Critici formem, sapientem, & Homerum esse alterū affirmant: quia ille tam negligenter, & durè scribit, ut parum sollicitus esse videatur de suis somniis, in quibus, è doctrina Pythagoræ, sibi visus erat videre animā Homeri suā in corpus trasmigrare, & sibi promittere ipsum fore alterū Homerum priore nō deteriorē: oblicus videtur quid promiserit, ac somnia verit; adeò alter Homerus nō est, adeò illi cedit. De Ennio vide lib. 1. Epist. 19. & Oden 7. lib. 4.

Et sapiens, & fortis. Ironice appellatur Ennius sapiens, quia putabat Pythagoram olim se fuisse; fortis, quia eundem se Euphorbum militem Trojani exitisse dictabat.

Neivius. Poëta vetus Latinus fuit Ennio senior, & inculcior: vixit circa an. V.C. 520. urbe pulsus odio Metellorum, & aliorum nobilium, quos male-

dicis versibus descriperat, ob*ist* Ut Vitæ. Sensus est: Nævium non legi, quia ejus versus in omnium animo quasi scripti sunt, ut si esset recens: vel, quamvis ejus opera non extarent ferè amplius, ob vetustatem, ea tamen in omnium memoria hæc rere adhuc.

Ambigitur, &c. Ostendit quanto in honore essent veteres Poëtae, quorum uter utri præstaret dum dubitaretur, Pacuvius doctrinā excellere diceatur, Accius ingenii excedit: Afranius par esse iactatur Menandro, adeò, ut unius vestis alteri cōvenire possit, Plautus Epicharmo, &c.

Auferit. Obtinet.

Pacuvius. Ennius nepos: Tragedias scripsit non inconciānē, ut erant tempora. Brundusii natus, obiit Tarenti prope nonagenarius: unde ab Horatio doctus senex vocatur, Olympiadis 156. anno 3.

Altis. Gravis, elati in scribendo;

Accius. Fuit Pacuvio junior

Q. HORATII FLACCI

Dicitur Afrani togæ convenisse Menandros:
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi:
Vincere Cecilius gravitate, Terentius arte.
Hos edidit, & hos ardo sippata theatro
Spectat Roma potens: habet hos, numeraque Poëtas;
Ad nostrum tempus Livii scriptoris ab avo.

mis 50. inter ejus Fabulas insignis ea fuit, cui nomé, Atreus: quan cùm Ennio aliquando recitatet, carperetque Ennius nonnulla duriscula, respondit Accius, ea similia esse posmis acerbioribus, quæ melius conservantur, ac tempore ipso nitecentur.

Afrani togæ. Quia Togatas comedias scriptit: ita vocabantur illæ, quarum erat argumentum Latinum, & personæ:

Palliatæ verò dicebantur, quærum argumentum, & personæ à Græcis erant sumptæ. Porro Afranius paulò junior fuit, quæm Terentius, peracutus, & disertus, Menandi diligens imitator, unde illius toga, id est, stylus, & ratio scribendi fabulas Latinas, dicitur convenisse, apta esse potuisse Menandro, qui Græcas scriplerat: arguitur eo maximè nomine quod argumenta sua fœdis amoribus inquinaverit, in quo utinam ille solus pescasset;

Ad exemplar. Ad imitationem.

Properare. Diligenter, ac celeriter scribere, non querendo diverticula, ut Poëta multi facitant. M. Accius Plautus natione Vmber, patria Sarsinas fuit. Affirmabat Varro, Musas, si Latinè loquerentur, Plautino sermone locutas. Obiit Olympiadis 144. anno 1. V. C. 570. teste Cicerone.

Epicharmi. Fuit ille Poëta Græcus Syracusanus.

Cecilius. Poëta comicus Mediolanensis, aequalis ferè Terentii: vixit uterque circa annum ab V. C. 590. Terentii comediae extant, quas ab omni obsecritate purgavimus.

Spectat. Fabulas ab iis compositas, & in theatro exhibitas.

Livii. Livius Andronicus primus Romæ Fabulam docuit, id est, exhibuit comediam, anno antequam Ennius nascetur, ab V. C. 514.

EPISTOLARVM LIB. II.

Interdum vulgus rectum videt, est ubi peccat. Si veteres ita miratur, laudatque Poëtas, Ut nihil an:ferat: nihil illis compareat; errat. Si quedam nimis antiquæ, si pleraque dure Dicere credit eos, ignavæ multa factur. Et sapit, & mecum facit, & Jove judicat eque. Non equidem insector, dilendaque carmina Livii Esse reor, memini que plagosum mibi parvo Orbilium dictare: sed emendata videri, Pulchraque, & exaltis minimè distantia, miror. Inter qua verbum emicuit si fortè decorum, & Si versus paulò concinnior unus, & alter; Injustè totum ducit, venditque poëma. Indignor quidquam reprehendi, non quia crassè Compositum, illepide putetur; sed quia nuper: Nec veniam antiquis, sed honorem, & premia posci. Reclè necne crocum, floresque perambulet Atta

Est ubi peccat. Aliquando fallitur.

Videt. Judicat.

Antiquæ. Obsolete.

Ignavæ. Humiliter, negligerter.

Factetur. Ordo est: si fatetur populus, eos multa ignavè dicere.

Facit. Sentit; à me stat.

Æquo. Probante.

Non equidem, &c. Nequiter hæc eo dico, quod infestari dedita operâ, & carpere velim carmina Livii Andronicici.

Plagosum. In plagiis infligendis multum, & immitem ludimigistrum, Horatii pueri

præceptorem, qui ab eo male mulctatus, meminerat plagarum, ut fit.

Inter qua. Quibus in Livii carminibus.

Dicit. Producit, ostentat.

Venit. Venditat: laudat, qui merces alias vendunt, eas vulgo laudent.

Reclè, &c. Si ego dubitare me dicam comedia quadam ab J. Quintio Atta veteri Poëta scripta mereatur, necne in theatro recitari, quod ero- co sit conspersum, & horibus; statim senes omnes clamabūt, me esse impudentissimum, qui velim eam reprehendere co-

*Fabula, si dubitem; clament perisse pudorem
Cuncti patres, ea cum reprehendere coneris;
Quae gravis Aësopus, qua doctus Roscius egit:
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, docunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus: &c., qua
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.
Nam Saliare Numa carmen qui laudat, & illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri;
Ingeniis non ille faveret, plauditur sepultus;
Nostra sed impugnat: nos, nostraque lividus odit.
Quod si tam Gracis novitas invisa fuisset,
Quam nobis, quid nunc esset vetus, aut quid haberet;*

incediam, in qua fuerint actores Aësopus, & Roscius, duo præstantissimi ea tempestate Histriones; quasi hoc satis argumenti foret, eam esse optimam. Hunc Roscium Tullius in judicio defendit, extatque ejus orationis pars bona. Cum illo cōtendere solitum ferunt, utrum ille sapienter eamdem sententiam variis gestibus exprimeret, an ipse Tullius variis verbis, & figuris. Est autem Crocus herba odorata, que in aqua macerabatur, & illi suum odorem conciliabat: ea deinde aqua spargebatur in theatrum, & in populum, instar roris, &c.

Atta. Is eam ob rem ita vocatus fuerat, quod esset Atta, id est, vitiosis pedibus, & quod extremis iſsistens plantis am-

bularet: hoc enim ea vox sonat: ad quam alludit Horatius hoc verbo, perambulet.

Ducunt. Existimant, nempe senes.

Minoribus. Junioribus concedere, quos le inferiores putant, & fateri ea esse perdenda, quæ olim didicerunt, cum essent imberbes.

Saliare carmen. Quod Salii Martis sacerdotes a Numa Pompilio instituti saliendo catabant, vetus erat cantilena, & obsoleta.

Quod, &c. Quod xquæ, ac ego, nescit: erat enim valde obscurum.

Sepultis. Hominibus ingeniolis mortuis: non id facit, ut suam veteribus dignitatem, & famam asserat, sed quia recentioribus invidet.

Quod

*Quod legeret, tereretque viriūm publicus usus?
Ut primū positis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortunā labier aquā;
Nunc athletarum studiis, nunc artis equorum:
Marmoris, aut eboris fabros, aut aris amat:;
Suspendit piætæ vultum, mentemque tabellæ:
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragediæ:
Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupidè petiit, maturè plena reliquit.
Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc pacies habuere bona, ventique secundi:
Roma dulce diu fuit, & solemine, reclusa.
Mane domo vigilare, clienti promere jura,
Cantos nominibus certis expendere nummos,
Majores audire, minori dicere per quæ*

Tereretque, &c. Quod dum legitur publicè a singulis, usu ipso celebraretur, ac tereretur.

Nugari. Levioribus artibus operari dare, ut pictura, statuaria, &c. Vnde orta sit Poësis, quam Romæ frequens, quam utilis, docere incipit.

Vitium. Otiū, luxum, æquā. Prosperā.

Nunc, &c. Delectata est gladiatorum spectaculis, curilibus certaminibus. Quinam forent ahletæ, vide in variis Odarum locis, ac Satyrarum, v.g. Ode 1.lib.4.

Suspendit. Asperit, & mirata est suspensus oculis, & animis.

Cupidè. Vehementer, senixè.

Plen a. Satiata, fastidiosa.

Hoc. Varietatem illarum leviorum atrium.

Reclusa. Aperta.

Promere. Explicate. De clietibus, & patronis alias dictum.

Cantos. Datus fidis debitibus, & certa cautione accepta, v. g. pignore, aut satisfactio- ne. Collocare pecuniam apud locupletes debitores, qui sint solvendo.

Nominibus. Ex eo quod feneratores eorum, quibus pecunias credebant, nomina referrent in argenteriorum tabulas, & in suos libros, factum est, ut nominis appellatio ad omnipotem pactionem, & contratum pertineret.

Majores. Seniores.

Minori. Junioribus; Eo

Crescere res posset, minui damnoſa libido.
 Mutavit mentem populus levis, & calet uno
 Scribendi studio: pueri, paucisque ſeveri
 Frondē comas vincti canant, & carmina dicitant;
 Ipſe ego, qui nullos me affirmo ſcribere versus,
 Invenior Parthis mendacior, & prius orto
 Sole, vigil calamum, & chartas, & ſcrinia poſco.
 Narem agere ignarus nauis timet; abrotонum agro
 Non audet, niſi qui didicit, dare. Quoc medicorum eſt
 Promittunt medici: tractant fabrilia fabri.
 Scribimus in docti, doctique poemata paſſim.
 Hic error tamen, & leuis hic in janis, quantas
 Virtutes habeat, ſic collige: vatis avarus
 Non temerè eſt animus: verſus amat, hoc ſuadet unum;
 Detrimenta, fugas ſervorum, incendia ridet,
 Non fraudem ſocio, puerove incogitat ullam
 Pupillo: vivit ſiliquis, & pane ſecundo;

præceptis utilibus instituere.

Res. Opes.

Fronde. Hederā, vel lauro,
 Unde ſiebant Poëti corona.

Parthis. Sæpè fidem Romani-
 nis datam fregerant, ut Cras-
 sus, & Antonius experti fuere:
 iudicium acerrimè pugna-
 bant, cum fugari maxime ſi-
 mularent.

Prius, &c. Ante ſolem or-
 cum.

Scrinia. Capsulam, loculos,
 ubi libri reponeretur.

Navis. Navigationis, arti
 nauticæ.

Abrotонum. Herba eſt me-
 dica. Pro quolibet pharmaco

ponitur.

Non temerè. Non facilè, non
 vulgo.

Incogitat. Machinatur.

Siliquis. Leguminibus. Sil-
 quis proprie ſunt olerum in-
 volucra, & folliculi.

Secundo. Cibario, crassiori,
 cui admixtum furfur: farinæ
 flos, ab omnifurture purgatus,
 ſiligo, vel ſimilago, & pollen
 dicitur; ex eo ſiebat panis pri-
 mus, & delicatior; ſecundus,
 ſive ſecundarius, ex ea farina,
 qua ſecundo loco excerneba-
 tur post illum florem: tertia-
 riis ex alia farina minus per-
 purgata.

Militia quamquam piger, & malus; utilis urbi.
 Si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari:
 Os tenerum pueri, balbumque Poëta figurat:
 Torquet ab obſcenis jam nunc sermonibus aurem:
 Mox etiam pectus præceptis fornat amicis,
 Asperitatis, & invide corrector, & ire:
 Reclit facta refert: orientia tempora notis
 Inſtruit exemplis: inopem ſolat, & egrum.
 Caſis cum pueris ignara puella mariti
 Diſcret unde preces, vatem ni Musa dediſſet?
 Poscit opem chorus, & praefitia numina ſentit:
 Cæleſtes implorat aquas docta prece blandus:
 Avertit morbos: metuenda pericula pellit;
 Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.
 Carmine Di ſuperi placantur, carmine manu.

Utilis. Licet ad militiam
 parum ſit idoneus, quia fe-
 gnis, & timidus eſt, idem ta-
 men eſt civitati utilis.

Si das. Si concedis res par-
 vas eſte adjumento maximis.

Docta prece. Scienter, & eſ-
 ſacrorum riibus compoſita.

Magna. Reipublicæ admi-
 nistrationem, & decus eſt rebus
 parvis eſtlorefſcere.

Oz. Vocem, & pronuncia-
 tionem format, ſingitque.

Torquet. Detorquet, avocat.

Asperitatis. Sævitia.

Reclit, &c. Res a ſummis
 viris bene, fortiterque gestas
 narrat.

Orientia. Praefitia, & naſ-

centia tempora docet, inſtruit-
 que præteritis exemplis, quæ
 notoria ſunt.

Ignara puella mariti. Innu-
 pta.

Chorus. Intelligit turbam
 puerorum, ac puerarum, quæ
 in publicis calamitatibus, item
 poſt exactum ſæculum, & per
 urbem, & in templo proceder-
 bat certos hymnos concinens,
 &c.

Sentit. Exorat Deos, ac fa-
 ventes illos experitur.

Cæleſtes aquas. Pluvias, quæ
 decidunt e cœlo, ſeu ex aere.

Manes. Dii inferorum, mor-
 tuorum animæ. Vide Od. 20.
 lib. Iambus ſuppos. Agis

*Agricole prisci, fortis, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem;
Cum sociis operum, & pueris, & conjugi fidu-
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant;
Floribus, & vino Genium memorem brevis avi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit:
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter: donec jam Iesus apertam
In rabiens verti caput jocus, & per honestas
Ire domos impunè minax: doluere cruento*

Beati. Contenti.

*Condita. Collecta, percepta
post messem.*

Levantes. Recreates.

Dura. Labores agriculturæ.

*Porco. Sue, quæ Telluri im-
molabatur; sus enim fecunditate sus terræ ubertatem ad-
umbrat.*

*Sylvanum. Sylvarum, &
pastorum Deum.*

*Piabant. Pium, & propitium
zedebant: expiabant, & lue-
bant hoc sacrificio, si quid in
eum peccatum foret.*

*Genium. Genius apud vere-
res erat Deus vitæ singulorum
præses, qui cum ipsis gigneret
unum, & moreretur. Unde
brevis avi memor hic dicitur,
nempe qui brevi, ut homines,
vivat; eosque ejusdem vita-*

brevitatis memores esse ju-
beat: sic tristis dicitur sene-
citus, quia tristes facit.

*Per hunc, &c. Ex ea rusti-
corum consuetudine, qui post
messem operum soluti genio
indulgebant, orta est licentia,
& libertas dieēdi alterno car-
mine convicia quædam rusti-
ca, quæ quotannis certo tem-
pore recurrens, fuit grata, &
prater ludum, jocoque ama-
biles nihil habuit: donec ex-
perunt homines ab istis jocu-
laribus conviciis, ad vera, &
aperta descendere, & cives ho-
nestissimos minaci carmine
deformare, &c. Vocatur hac
licentia Fescennina ab Fescen-
nia, oppido Etruriæ, unde ista
rustica, & obsecna convicia
sunt allata.*

Dent.

*Dente lacessitis; fuit intactis quoque cura,
Conditione super communis: quin etiam lex,
Panaque lata, malo qua nollet carmine quemquam
Describi, vertere modum, formidine fustis,
Ad bene dicendum, delectandumque reducti.
Gracia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio: sic horridus ille
Desfluxit numerus Saturnius, & grave virus
Munditie populare: sed in longum tamen evum
Manserunt, hodieque manent vestigia ruris.
Seruos enim Gracis admiravit acumina chartis:
Et post Punica bella quietus, quarere caput,
Quid Sophocles, & Thespis, & Aeschylus utile ferrent;*

*Intactis. Non lacessitis cura
fuit commune periculum a
verttere.*

Malo. Maledico, famoso.

*Vertere modum, Rationem
scribendi mutavere.*

*Ad bene, &c. Qui maledi-
cere antea solebant.*

*Victorem. Romanos feros
vocat, id est, indoctos adhuc,
& bonarum litterarum rudes.*

*Cepit. Vicit literatum vo-
luptate, ac inescavit eos, à qui-
bus erat victa, & subiecta viri-
bus armorum, & saevitiâ: lu-
xi, & deliciis in Italiam illa-
tis Romanorum temperantia,
frugalitatem, bonosque mores
prodigavit.*

*Sic, &c. Cœpit obsolescere,
ac vilescere Poësis illa in culta,
versus, & numeri impoliti, qui
olim, regnante in Italia Satur-*

*no, floruerant. Et sermo mun-
dus, elegantique expulit gravem,
virulentum, & barbarum, qui
haec tenus riguerat. Virus idem
est, ac venenum, ponitur pro
quolibet odore gravi, qualibet
asperitate, & pravitate.*

*Saturnius. Qui Saturno re-
gnante in Italia vigebat.*

*Ruris. Rustica Poëlos, &
incultæ.*

*Acumina. Ingenii aciem, &
oculorum legendis Græcorum
scriptis adhibuit Romanus po-
pulus sero.*

*Punica bella. Quæ contra
Poenos, id est, Carthaginien-
ses, gesta sunt, tria numeran-
tur: vide Florum, libro 2.*

*Quietus. Pace fruens, & otio.
Sophocles. Fuit scriptor tra-
gediarū Græcarum, ut The-
spis, & Aeschylus.*

Ten-

Q. HORATII FLACCI

572

Tentavit quoque, rem si dignè vertere posset:
Et placuit sibi, natura sublimis, & acer.
Nam spirat tragicum satis, & feliciter andet;
Sed turpem putat in scriptis, metuitque litoram.
Creditur, ex medio quia res accessit, habere
Sudoris minimum; sed habet comedìa tanto
Plus oneris, quanto venia minus: aspice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi;
Ut patris attenti, lenonis, ut infidiosi:
Quantus sit Dorsennus edacibus in parasitis:
Quam non adstricto percurrat pulpita socco.

Rem. Grecos versus in Latinum sermonem.

Spirat, &c. Spiritus tragicos habet, res tragicas commode cogitat effertque, multa feliciter inventit, ac ingeniosè, sed erubescit scripta sua emendare, inducere, ac delere timet, quem semel exaravit.

Creditur, &c. Ordo est: teneatur comedìa minimum habere difficultatis, ac laboris, quia res, id est, sua argumenta sumit è medio, id est, è communis, & quotidiana vita. Est enim comedìa, representatio actionis alicuius ex illis, que in plebeja fortuna, & quotidiana vita contingunt: Tragœdia vero, illustris actionis, & heroicæ.

Quo pacto. Quam accurate: alii exponunt, quam negligenter, & putant. Plautum hic ab

Horatio vituperari, licet obscurius, quia in honore, & pretio apud multos erat, eundem certè vituperat palam in arte Poëtica, & hic jungit cum Dorsenno, quem aperie reprehendit.

Ephebi. Adolescentis, Partes tutatur, id est, personam exhibet, mores effingit.

Attenti. Avari.

Quantus, &c. Quam tragœdie Dorsennus parasitos exhibeat: cum viderit culpare, qui ampullaretur, ac saviret in parasitus describendis, qui jocosus, & procaci carmine pingi debuerant.

Quam non, &c. Quam laxo, & diloluto socco theatrum perambulet. Velsis non astrictæ, discinctæ, temerè fluens, indicium est hominis negligenter: soccus erat cruris indumentum,

EPISTOLARVM LIB. II.

573

Gestit enim nummum in loculos demittere, posse hos
Securus, cadat, an recto sit fabula ralo.
Quem tulit ad scenam ventoso gloria curru,
Exanimat lensus spectator, sedulus inflat.
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
Subruit aut reficit. Valeat res ludica si me
Palma negata macrum, donata reducit optimum.
Sape etiam audacem fugat hoc, terretque Poëtam;
Quod numero plures, virtute, & honore minores,
Indotti, stolidique, & depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina possunt
Aut ursum, aut pugiles: his nam plebecula gaudet.

tum, sive calceus humilior, quo utebantur actores comediarum: cothuruus, grandior, & sublimior, quo tragediarum; pulpitu, locus editior in theatro, ubi symphoniaci versabantur: pro toto theatro sumitur.

Gestit, &c. Iste Dorsennus Poëta comicus id unum studet, ut lucrum faciat; (solebant enim histriones emere à Poëtis comedias) post hoc est securus, id est, sollicitus non est an cadat, an stet, id est, utrum proberet sua comedìa, an explodatur.

Recto. Si enim talus invertatur, hominem subverti, & cadere necesse est.

Quem tulit, &c. Qui scribit fabulas gloriae captandas causas, is unum spectatorem

consultit, spectatque; eo languente, & fastidioso, mœret; laudante, ac erecto, triumphant.

Avarum. Cupidum.

Reficit. Erigit, accedit.

Res ludicra. Scenica. Coœdœ percuti omnes, &c.

Optimum. Obesum, id est, ovantem, latum.

Audacem. Qui in scribendo felix, & strenuus sit.

Fugat. A scribendo deterret.

Quod numero, &c. Quod ex iis, qui ad spectandum conveniunt, pars multò maxima, dignitate inferior, indostum vulgus, & stolidum, in media comedìa sapè poscat spectaculum aliquod, & certamen ferarum, aut athletarum, param etiam ad arma, & verbera venire, si equites, & nobiliiores

Q. HORTII FLACCI

Verum equitis quoque jam migravit ab aure voluptat
Omnis, ad incertos oculos, & gaudia vana.
Quatuor, aut plures aulae premuntur in horas:
Dum fugiunt equitum turma, peditumque cetera,
Mox trahitur manibus Regum fortuna retortiss;
Esseda festinat, pilenta, petorrita, naves;
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus;
Si foret in terris, rideret Democritus, seu
Diversum confusa genus panthera camelos,
Sive elephas albus vulgi converteret oras;

liores spectatores, qui sunt pauciores, discordent, id est, respiciunt id quod vulgus petit, malint spectare comediam, quam urlos aut pugiles.

Verum, &c. Verum, & ipsi quoque equites jam delectantur magis videbris spectaculis, quam audiendis comedisi, & tragediis, quod ex eo probat, quia ornamenta actorum, vestes, & omnis ejusmodi apparatus magis placebant, quam ipsi versus.

Incertos. Qui hue illuc curiosè circumferuntur.

Quatuor, &c. Id est, comedia per horas quatuor, aut plures durat: quamdiu scilicet aula strata jacent.

Premuntur. Complicantur. Scena, sive theatrum obtegebatur aliquo velo, quod demitterebatur, & stratum, complicatus que humi jacebat, cum a-

ctores prodibant, attollebatur, & explicabatur finitima fabula. Porro in ipsis tragœdiis, & comediis interdum multa eduntur spectacula, v.g. exercitus inter se certantes in ipso theatro; triumphus, in quo reges olim fortunati, trahuntur vincis post tergum manus, &c.

Fugient. Dum hostes fugientes in theatro exhibentur.

Esseda. Currus quidam erant, quibus Galli maximè utebantur; pilenta, matronarum vehicula; petorrita, apud Belgas erant usitata.

Portantur. Simulachra regum captorum, portantur, nempe in theatro ad pompam, & spectaculum.

Corinthus. Od. 6.lib.1.

Democritus. Fuit Philosorus insigilis qui ex omniibus rideendi ansam captabat, ut Heraclius

Spectaret populum ludis atentius ipsis,
Ut sibi præbentem mimo spectacula plura:
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo: nam que pervincere voces
Evalueré sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putas nemus, aut mare Thuscum?
Tanto cum strepitu ludi spectantur, & artes,
Divitieque peregrine, quibus oblitus auctor
Cum stetit in scena, concurrit dextera laus.
Dixit adhuc aliquid? nil sanè quid placet ergo?
Lana Tarentino violas imitata veneno.

raclius flendi. Ordo est: risum non teneret Democritus, cum videret populum ore cōverso, & hiantē spectantē, seu caméopardalim, quam est genus quoddam bellus diversum à panthera, camelō ex utroque ramen confusum, & mixtum, seu elephantum album: certè Democritus plus voluptatis caperet ex populi admiracione, & stulta curiositate, quam ex ipsis ludicris spe faculsi, ut potè qui populus sibi Democrito præberet jucundiora spectacula, quam nimis quilibet; est autem nimis, histrio, qui ridiculos gestus edit; vel fabula scurrilis, & jocularia, oblectandis spectatoribus inferi solita inter actus singulos tragœdiæ, & comediæ.

Scriptores. Poetas qui tragœdias scribunt: surdo canere,

est ei dicere qui non audiat, qui aliud agat: populus præclarā carmina non audit intenus spectaculis tragœdiæ, potius quam versibus, & inconditos clamores edens.

Garganum. Est mons Garganus in Apulia.

Thuscum. Od. 10. Lib. 1. 18, & 23. lib. 3.

Artes. Opera veterum artistarum, v.g. picturæ, æra.

Oblitus. Indutus, inquinatus potius quam ornatus: oblinere quippe est latu, vel facibus commaculare.

Scena. Satyr. 1. lib. 2.

Concurrit, &c. Plauditur.

Quid placet. Cur spectator res plaudunt?

Lana, &c. Vests purpurea, violacci coloris tincta in urbe Italie Tarento. Od. 23. lib. 1.

Veneno. Colore, succo.

Ac ne forte putes, me, quæ facere ipse recusem;
 Cum recte tractent alii, laudare maligne:
 Ille per extumentum funem mihi posse uidetur
 Ira Poëta, meum qui peccatus inaniter angit,
 Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
 Ut magus, & modò me Thebis, modò ponit Athenis,
 Verum age, & his qui se lectori credere malunt,
 Quām spectatoris fastidia ferre superbi.
 Curam redde brevem, si manus Apolline dignum
 Vis complere libris, & vñtibus addere calcar,
 Ut studio majore petant Helicona virentem.
 Multa quidem nobis facimus mala sapè Poëta:
 (Ut vineta egomet cadam mea) cum tibi librum

Ac ne, &c. Noli arbitrari,
 me tragicos Poëtas parce lau-
 dare, quia tragœdias non scri-
 bo, quas illi recte tractant. Nō
 modò illos non vitupero, ut
 fatear ultro, eos rem facere
 difficultiam, &c.

Ille, &c. Poëta tragicus rem
 mihi videatur facere tam dissi-
 cilem, quām difficile est ire
 per funem in aëre suspensum,
 quod funambuli faciunt.

Inaniter. In argumentis fi-
 etis, & nihil ad me spectanti-
 bus.

Angit. Mover, perturbat.

Magus. Præstigiator, qui
 arte magica homines ex uno
 loco in alium transfert.

Thebis Athenis. Od. lib. 1. 6.

Verum age, &c. Quamvis
 tragicis Poëtæ artem maguam,

& ardum profitentur, noli;
 ò Cæsar, illos non dignari tuâ
 curâ, qui malunt odas, & alia
 id genus carmina scribere le-
 genda, & placitura lectori pla-
 cido, quam tragœdias specta-
 das à fastidioso spectatore.

Redde. Impende: debitam
 illis curam tribue, brevem, ob-
 tuas graviores occupationes.
 Alii sic explicant: minue illis
 curam scribendi, & laborem
 tua scilicet liberalitate: brevē
 illis, & exiguum curam effice.

Manus, &c. Bibliothecam
 à te ædificatam, & consecra-
 tam Apollini.

Calcar. Stimulos, animos.
Ut vineta, &c. Vt ipsos quo-
 que Poëtas qui lectoribus ma-
 gis, quām spectatoribus place-
 te amant, vituperem: vel, ut
 mg

Sollicito damus, aut fesso; cum iadimur, unum:
 Si quis amicorum est ausus reprehendere versum:
 Cùm loca jam recitata revolvimus irrevocatis;
 Cùm lamentamur, non apparere labores
 Nestros, & tenui deducta poëmata filo:
 Cùm speramus è rem venturam, ut simul atque
 Carmina rescribemus nos fingere, commodus ultrò
 Arcessas, & egere vetes, & scribère cogas:
 Sed tamen est opera pretium cognoscere, quales
 Æditios habeat, belli spectata, domique
 Virtus; indigna non commitenda Poëta.
 Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
 Chærilus, in cultis qui versibus, & male natu-

me quoque accusem, qui agam
 id quod in aliis reprehendo:
 alienas vites cedere, hostile
 facinus est: unde Virg. Ecloga
 3. Atque mala vites incidere
 falce novellas: suas vero, est
 hominis, qui se ipse oderit: una
 de metaphoricè usurpatur de
 illo, qui accuset ultrò, & repre-
 hendat.

Sollicito. Occupato.

Revolvimus. Repetimus.

Irrevocati. Non rogati ea
 iterum recitare.

Non apparere, &c. Non in-
 telligi quantum laboraveri-
 mus, quām sint delicata, &
 subtilia, quæ scripsimus, poë-
 mata; ductum à tela subtiliter
 texta.

Commodus. Benignus, libe-
 ralis;

Egere vetes. Opibus augeas
 des nummos.

Sed tamen, &c. Quamvis
 importuni tibi sumus nos Poë-
 tas, ò Cæsar, neque si quid scri-
 bimus, continuo putare debeas
 mus fore, ut nos acerfas, &
 jubeas versus facere; tamen
 eos non debes negligere, &
 repudiare, immo facies opera
 pretium, id est, rem tibi uti-
 lissimam facies, si eos cures
 cognoscere, & favere, qui tua
 virtutis possint esse ædifici, id
 est, qui tuas res præclarè dor-
 mi, & militiæ gestas possint
 conservare scribendo, ut ædi-
 fici templi servant: vel aliis
 explicare, & enarrare, ut ædi-
 fici enarrant hospitibus, & pe-
 regrinis res in sacratio abdi-
 tas: neque imitandus tibi Ale-